



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

Festum SS. Trinitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

nuntiavit. Quis jam fidem non habeat dicentibus columbam sine felle esse? *Ex Spec. Exempl.*

*Vt almus hic Spiritus vivificet te, custodi unitatem, & apud te quietus sede, prestolare ejus adventum, ut te ad se suscipiendum paratum inveniat: Turbas fuge & temporalium facultatum devota negotia, quatenus amabiliter Paracletus veniat & requiescat in te.*  
S.L. Just. serm. de Pent.

### FESTUM SS. TRINITATIS.

**Q**uid solem intueris? si sapis oculos claudes. Fides talpa sit, oportet. Nimirum non posse in parvulam fossam exonerari Oceanum, Augustine, docuisti. Manu tamen ad tanta mysteria non semel nos duxit cælum. Ita quo tempore Vafatenses Hunni bello, & hæresi suâ SS. TRIADEM Ariani impetebant, miraculum contra hos ingens pugnavit. Etenim sub ipsis sacris è cælo in aram tergeminae guttæ se demiserunt, invidiam crystallo facturæ. Has cum legere Sacerdos vellet, ecce sūrapte sponte in unicam gemmam coivère. Atque hoc nobilissimum, UNIVS TRIADIS, & TRINÆ UNITATIS symbolum Christiani cruce, hanc unionibus ornarunt. Sed quod unâ suâ gemmâ fat dives crux esset, uniones omnes, velut victos se faterentur, longè inde exsilierunt, quo permoti cives aureâ denique cruce, ut par erat, gemmam unice pretiosam incluserunt. Jam in Virginis Claræ de Monte Falco corde repertos ajunt hodieq; asservari tres globos, qui singuli cum singulis, quin imò bini etiam cum tertio certant pondere, nec tamen superant, nec superantur. Ostendit hæc Virgo nobilius aliquid quam aurum, quo mysterium

rium hoc claudamus, cor nostrum. Aut enim hoc, aut nihil capit DEVM.

*Quemadmodum reliquis omnibus membris caput anteponis, & cetera membra objicis, ut ictum à capite avertas; ita Sancta & ejusdem essentia Trinitatis fidem, sine qua vitâ, quæ verè vita sit, vivere nemo potest, rebus omnibus antepone. S. Ephrem in Vit. rect. rat.*

## FESTUM SS. CORPORIS CHRISTI.

Iuvat pompæ, quam omnis hodie orbis Christianus ducit, exordia paucis denarrare. Virgo fuit non procul Leodio; nomen virgini Juliana. Hæc dum cælos, quos animo jam habitabat, oculis etiam obambulat, novam Lunam aspicit, à quâ altera lubens lucem suam mendicaret: pleno tamen incremento aliquid restare videbatur. Subinde audit Ecclesiam hanc esse Christi sponsam, cui porrò ad decoris supplementum nihil deesset, quàm ut sponsum suum sub pane latitantem festo die, & pompâ celebraret. Et verò ad hoc operam Julianæ cælum expetere. Diu linguam Virginis modestia ligatam tenuit, dum amor denique solvit, & detegere visum, cum aliis, tum è Canonorum collegio uni suavit. Is tunc Jo. Lanfenna post Pont. Urbanus IV. fuit. Et fortè dum hic ad clavum Ecclesiæ sedet, Bolsenæ Sacerdotis sacrificantis mentem dubitatio subiit de Numinis in S. Eucharistiâ præsentia. Vulneravit hæc perfidia Christum. Nam præterquàm quòd remoto panis velo, in conspectum se dedit, scatere sanguine calix, & effundere se hic in aræ linthea visus est. Tum verò Urbano Pont. jubente miraculum hoc per urbem illam est circumlatum; jamque urbem